Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA DE SCLOPETORUM VULNERIBUS,

vulgò

Schuß-Wunden/

Quam

Consensu & Authoritate Illustris Facultatis Medicæ
in inclyta Salana,

PRÆSIDE

RUDOLFO WILHELMO
CRAUSIO,

Heredit. in Mellingen/ Phil. & Med. Doct. Pract. & Chim. P.P.
longè celeberrimo, facultatis medicæ Seniore gravissimo,
S. R. I. A. N. C. Collega primàrio,

Patrono & Præceptore suo maxime devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica HONORES, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA, more Majorum,
solenniter obtinendi,

publicæ disquisitioni subjicit

LUDOVIC. CHRISTOPH. GUCKELINUS,
Ottvveilensis Nassoicus.

In Auditorio majori, Horis ante- & pomeridianis.

Ad [illegible] Julii, M. DC. XCV[illegible]

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO

PHILIPPO REIN-
HARDO

Comiti Hanovienſi, Rineccenſi
& Bipontino,
DOMINO
Munzenbergæ, Lichtenbergæ &
Ochſenſteinii &c.
Archimareſchallo Hereditario,
&
Præfecto ſublimiori
Argentoratenſium,
Comiti & Domino ſuo clementiſſimo.
S.

ILLVSTRISSIME & CELSISSIME COMES,

Domine Clementisſime,



Ulla hactenus ſollicitè inquirenti & omni voto exoptanti ſuppetiit occaſio, quâ Tibi, Illuſtrisſime & Celſisſime Comes, *mentem meam devotisſimam, perennemque ſubjectisſimam obſervantiam declarare licuit. Hanc, cum jam affulſerit, non amplecti piaculum foret. Temeritatis quidem non exiguæ tenuis ego argui poſſem, dum levisſimas hasce plagulas* Diſputationis Inauguralis, *cultus devotisſimi teſtes, ad pedes* Tuos *humillime deponere audeo. Excuſat vero illam, ſi non plane annihilat, ſolitus ille favor, quem* Illuſtrisſima Tua Celſitudo *literis & artibus liberalibus operam navantibus clementisſimè impertit. Magis præterea*

me

me confirmavit, ut hoc moliar, quam deterruit immensa & immerita, quâ B. Parentem semper, & me indignum non ita dudum prolixissime beasti, Clementia, *cui ex merito depraedicandae impar sum, verborum eandem satis exprimentium penuriâ laborans. Quocirca devotissimo animo obtestor: suscipe exiguum hoc munusculum,* Illustrissime & Celsissime Comes, *serenâ fronte, dignare* Clementissimo Tuo Affectu *ulterius subjectissimam meam tenuitatem, quae DEUM supplex calidissimis fatigat precibus, ut* Illustrissimae Tuae Celsitudini *cum* Serenissima Conjuge *Vitam longaevam ac felicem, Regimen placatum, Pacem auream, concordiam, sanitatem inconcussam, & exoptatissima* Illustrissimae Domus *Incrementa benignissimè largiatur.*

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ CELSITVDINIS

humillimus & subjectissimus servus

Ludov. Christoph. Guckelinus.



PROOEMIUM.



Orribiles inter machinas bellicas, quas in perniciem mortalium, homo an diabolus dicam, nescio, excogitavit, non infimum locum obtinent sclopeta. Quot, quantasque læsiones Mavortium hoc instrumentum, minori licet globulo, sed impetum ingentem, & celeritatem cursus à pulveris pyrii accensione accipiente, efficiat, nemo forte ignorat? Et tamen crudelitati huic, quam invicem homines, non homines, quotidiè eheu! exercent, benignissimus DEVS prospexit aptis medicamentis, & inprimis medicinæ parte antiquissimâ CHIRVRGIA. Hujus præclaræ artis dignitas, quam genuinus medicus omninò callere, &, si necessitas efflagitet, etiam exercere potest & debet, me allexit, ut VVLNERA SCLOPETORVM pro Disputatione Inaugurali examinanda mihi elegerim. Moneo tamen in antecessum me principaliter *sclopetorum usitatiorum minorum* Vulnera, quibus bombardarum quàm proximè accedunt, brevissimè, & in synopsi quasi pertractasse, adæquatè verò, cum nec causa, nec curatio adeò multum varient, tormentorum quoque minorum, majorumque mortariorum catapultariorum, granatorum ignivomorum, aliorumque læsiones huc referri queunt. Adsis, Benigne DEVS, Spiritus S. tui gratiâ cona-

 tibus

tibus meis! Tu verò, B. L. materiæ hujus difficultatem perpende, & si non ubivis perpolita omnia deprehendes, judicio modestiam, quæso, associa.

§. I.

Posito externo violento, improportionato, cedere nescio, partium ab invicem unitatis solutionem in totâ fabricâ humanâ consequi necessum est.

§. II.

Hinc VULNUS SCLOPETARIUM est *morbus solutæ unitatis, ab extra contingens, cum contusione, perruptione, ac sæpius ossium fracturâ, à sclopetorum glande inducta.*

§. III.

Differt quidem quodammodo à vulneribus cæsim, & κατ' ἐξοχὴν punctim inflictis, tùm quoad subjectum, tùm quoad causam, symptomata & curationem; sed si modum figuræ respiciamus, posset dici, quod sit *vulnus compositum* ex *contusione* & *puncturâ*; Vulnus enim inflictum globulo, hujus latitudinem interdum planè, aut ferè adæquat, id quod in puncturis contingere solet.

§. IV.

Subjectum horum vulnerum primarium partes molles, adæquatum duræ constituunt.

§. V.

Partes *molles* magnam habent in medicis latitudinem, & complectuntur sub se quascunque partes corporis consistentes, exceptis solis ossibus, quæ *duræ* audiunt.

§. VI.

Causa horum vulnerum semper est externa, apta continuum solvere: nimirum res quædam vi pulveris pyrii accensi è sclopeti fistulâ ejaculata; solent enim interdum globuli plumbei, ferrei, stannei, argentei, it. lapilli, & alia plura sclopetis indi, in frequentiorem tamen usum veniunt globuli plumbei, de quibus hîc potissimùm sermo nobis est.

VII. Ve-

§. VII.

Veterum ſententia, globulum hunc à pulvere pyrio *igniri* quaſi, & *ambuſtionem* vulneribus ſic inducere, nullo modo locum habere poteſt.

§. VIII.

Conſtat enim *plumbum*, ex quô utplurimùm conſit, ab igne non ita forti ſtatim fundi; ſi igitur hoc verum eſt, uti eſt veriſſimum, non poteſt igniri, nec conſequenter adurere.

§. IX.

Nullus etiam unquam ejusmodi globulo trajectus uſtionis cujusdam ſenſum percepit, ſed multos ſæpius ſe vulneratos neſciviſſe, probatâ experientiâ notum eſt.

§. X.

Nec citatus motus per aërem globulum calefacere poterit, quod quidem vult *Langius l. 2. epiſt. p. 563.* Ut enim aliquid motu incaleſcat, dura corpora, quæ non tàm facilè cedunt, requiruntur, ſic v. gr. ſerra, quando ligna ſecat, incaleſcit, item lima, quando ferrum &c.

§. XI.

Nec indumenta transfoſſa, nec ſtupa, goſſypium, charta, aut lintea, quæ tamen immediatè pulveri pyrio ſuperponuntur; nec charta, vel linteum, quo inveſtiuntur (Germani vocant **gefüttert**) globuli plumbei, dum in ſclopeti cannulam immitti ſolent, ullũ uſtionis veſtigium accuratiſſimè inſpicientibus oſtendunt; (nigredo enim, ſi quæ ſe offert, à pulvere pyrio, & ſorditie minus mundatæ ſclopeti cannulæ eſt.) Taceo globulum ſclopetarium, ſi in acervum pulveris tormentarii explodatur, nullo pacto ignem concitare, multo minus hinc caro combure tur. vid. *Paræus in Operib. Chirurg. l. X.*

§. XII.

Præterea aduſtio in tali materiâ moram requirit, citiſſimè autem perforat carnem glans plumbea, quare illam inferre nequit.

§. XIII.

Cum humores ex maxima contuſione & diſruptione ſtaminum carnis & vaſorum capillarium partibus quaſi ſint impacti, nec refluere queant, ſed ſtagnent, ſtatim corrumpantur, & acredinem concipiant rodentem, oritur hinc ardor ingens, dolor, rubor, cruſtaque circa ora vulneris inſtar eſcharæ, quod veteres idem in aliis contuſionibus gravioribus, roſionibus â cauteriis potentialibus factis v.g. in fonticulorum confectione cum ~ ⌽i, butyro ♁ii &c. fieri forſan non animadvertentes, adegit, ut aduſtionem ſtatuerent.

§. XIV.

Concedo tamen aduſtionem interdum contingere, v. gr. ſi quis cominus globo percutiatur, ita, ut flamma pulveris pyrii accenſi partem attingere potuerit, pili & caro omninò comburentur, quod tamen pulveri incenſo, non item globulo, adſcribendum: eminus verò ſi fiat, nego, illuc enim pulveris hujus vim comburentem pertingere non credibile eſt. Vid. *Franciſc. Peccetii Oper. Chirurg. l. II. c. LXXXI. de vulner. ſclopet. Waldſchmid. in not. ad Chirurg. Barbette, & Dolæus in Encyclop. Chirurg. l. VI. c. V.*

§. XV.

Dari vulnera *venenata*, ſclopetorum etiam, negari nequit, exemplum legimus apud *Timæum* **von Güldenklee** / *caſ. med. 40. l. 6. p. 303.* de vulnere femoris ſclopeto inflicto lethali, ob globulum venenatum; veruntamen fruſtrà ſunt, qui cum *Joanne de Vigo* & *Alphonſo Ferrio*, celeberrimis de cetero chirurgis, quævis talia promiſcuè intoxicata arbitrantur.

§. XVI.

Aut enim venenum illud quærendum erit in pulvere pyrio, aut in glande plumbea; aſt in neutra reperitur, ergò hujusmodi vulnera absque omni ſunt veneno, vid. *Botall. de ſclopetor. vuln.* ubi Ferrium egregiè refutat.

§. XVII.

Olim, ob nondum ſatis excultum Chimiæ ſtudium 🜍 &

& ☽, (quæ cum carbonibus elementa pulveris pyrii constituunt) pro venenis habebantur, hodie verò toto die magno cum fructu, imò ipse pulvis pyrius, interius assumuntur, & aliquibus quasi panacea sunt.

§. XVIII.

♄ seu plumbum ex suâ naturâ nullam venenatam qualitatem habet, cui assertioni præter alia fidem faciunt tot egregia ex illo parata medicamenta.

§. XIX.

Vehementiora symptomata, quæ vulnera hæc statim insequuntur, nec in aliis æque cernuntur, multos olim seduxêre, ut aliquid veneni conjunctum statuerent, quod tamen non ita est; tam cita enim gangrænæ & sphaceli præsentia ex violenta illa contusione profundiori & diverberatione deducitur. Taceo cacochymiam, dispositionem scorbuticam, aliasque causas antecedentes & in corpore latitantes hæc ipsa multum promovere posse.

§. XX.

Differentiæ vulnerum sclopetorum cum ad curationem plurimum faciant, meritò sedulò & curiosè indagandæ.

§. XXI.

Sic magni refert scire, quonam globulo læsio fuerit facta, num plumbeo, æneo, ferreo, lapideo, chartaceo masticato, majori, minori, minimo? an glande tormentariâ grandi, an maxima, an granato manuario &c.

§. XXII.

Hinc alia magna sunt, alia parva, alia superficiaria, & in cute saltem, alia magis profunda, cum partium internarum læsione, dilaceratione vasorum, & generis nervosi, aut ossium comminutione.

§. XXIII.

Tandem locus affectus illa multum variat, ut quædam sint capitis, quædam thoracis, quædam abdominis, quædam artuum vulnera, alia causam continentem, h.l. glandem plumbeam conjunctam habent, alia non item.

§. XXIV.

Supervacaneum videri possset *signa* vulnerum sclopetorum enumerare, quum sensus incurrat ipsa læsio; attamen sæpe accidit, ut ob violentum impulsum globulus viscera hæc illave interna perterebret, quare signa horum penitius lustrare consultum erit.

§. XXV.

Cranii, meningum, ipsiusque cerebri læsi signa sunt vomitus biliosus, per os, nares, & aures, quandoque sanguinis fluxus, vertigo, loquelæ defectus, sensus & motus privatio, lethargus, febris, delirium, spasmus &c.

§. XXVI.

Si sangvis spumosus tussi rejiciatur & per vulnus cum flatu emanet, dispnoëa, laterisque dolor adsint, facies modò palleat, modò rubeat, pulmonem tactum esse arguendum.

§. XXVII.

Ex maximâ profusione sangvinis per vulnus egressi, pulsu debili & parvo, faciei pallore, sudore frigido & syncope, cordis vulnus colligitur.

§. XXVIII.

Diaphragma læsum est, si æger difficulter spiret cum multa tussi, pondus quasi eo loco consistens sentiat, per vulnus sangvinis spuma elabatur, & paraphrosyne succedat.

§. XXIX.

Ventriculo perforato, assumta parum cocta cum chylo per vulnus exitum quærunt, vomitus adest biliosus, appetitus dejectio.

§. XXX.

Pertuso glande dextro hypochondrio, si magna hæmorrhagia fiat, dolor pungitivus, vomitus, urina, & alvi excreta interdum sangvine tincta subsequantur, de læsione hepatis cogitandum. Quod si, sinistro perforato, eadem ferè symptomata conspiciantur, lien vulneratus erit.

§: XXXI.

Repetita urinæ redditio, eaque semicruenta, dolores lumbo-

lumborum ad pudenda usque se diffundentes, renes vulneratos monstrant.

§. XXXII.

Si violentiam experta sunt intestina tenuia, chylus cum bile mixtus per hiatum egreditur, læsio supra umbilicum; si verò crassa, ingens fœtor, aut scybala ipsa exitum per vulnus moliuntur, tormina adsunt, læsio infra umbilicum.

§. XXXIII.

Vesicâ vulneratâ ☐ cruenta mingitur, vel per vulnus quoque excernitur, dolore ad ilia protenso.

§. XXXIV.

Quod si in artubus vel alibi arteria lacerata est, sangvis cum saltu prosilit, syncope instante: si vena, hæmorrhagia magna; sin autem nervus concussus fuerit, intolerabilis dolor, motus amissio, inflammatio, gangræna, febris, motus convulsivi in promtu sunt; plura de signis vulnerum singularum partium vid. *ap. Georg. Bertinum medicinæ l. 13. c. 7. p. 362.*

§. XXXV.

Vulnus justo diutius absque causa manifesta apertum, nec consolidationem admittens, vel si admiserit, statim recrudescens, ossis cujusdam comminutionem ab impetu glandis factam denotat, aut aliquid ab extra illatum, quæ quamdiu nō abscedunt, & protruduntur, tamdiu chirurgi firmam curationem sperare nequeunt.

§. XXXVI.

Symptomata statim post inflictum vulnus præter solitum graviora, inprimis virium subitanea prostratio, cordis anxietas cum sudore frigido, vulnus venenatum arguunt.

§. XXXVII.

Prognosis ut omnis secundum *Hippocrat. 1. aph. 1.* ita hîc inprimis circa vulnera sclopetorum difficilis est.

§. XXXVIII.

Vulnera hæc reliquis quidem semper sunt periculosiora, attamen adactâ glande in partem carnosam, non ita intimi-

us,

us, absque vasorum majorum, nervorumque divulsione, si chirurgus prudens, quæ sui sunt officii faciat, & adstantes cum ægro se ritè gerant, non tàm magnum timendum est periculum.

§. XXXIX.

E contra verò periculosa valdè judicanda illa, & utplurimum lethalia, ubi intimior glandis penetratio partem quandam principem vulneravit, v. g. cor, cerebrum, pericardium, ventriculum, pulmonem &c. *Hippocr. VI. aph. XVIII.*

§. XL.

Si verò majora vasa hepatis, lienis, pulmonis illæsa fuerint, vulnera ejusmodi curari queunt, non tamen absque periculo; facilè enim, si pulmones vitiatos non ritè tractes, phthisis succedit.

§. XLI.

Nulla capitis vulnera, etiamsi levia appareant ab initio, periculo carent, quod dudum monuit *Cous libr. de vuln. capit.* quia ob cutem densiorem humores extravasati non tàm facile transpirant, & sic meninges citissimè gravantur, & inflammantur. Quo verò læsio major, eo majus quoque periculum.

§. XLII.

Vesicæ & diaphragmatis vulnera in parte carnosâ non tam periculosa, ac in membranaceâ.

§. XLIII.

In thoracis vulneribus, si sangvis extravasatus in cavitate stabulatur, periculum notat; putrescat enim necessum est, & sic centena oriuntur mala.

§. XLIV.

Convulsio & syncope vulnerum funesta sunt symptomata, præcipuè si â causâ privativâ, v. gr. hæmorrhagiâ nimiâ fiant, *Hippocr. V. aph. II. III.*

§. LXV.

Vulnus in articulationibus seu juncturis nunquam parvi habendum, nam ob nervum sive tendinem læsum inflammatio,

gangræ-

gangræna,& ni caveas,sphacelus superveniunt, ichor etiam ulcerum serosius, consolidatio retardatur;fitque ulcus sordidum, vel fistula.

§. XLVI.

Si caries os occupaverit, vel si idem à glande perterebratum fuerit, aut planè non consolidatur vulnus,aut si fit,per aliquot menses, immò annos quandoque, per particulas ossis separatas aperitur, quod quidem non adeô periculosum, veruntamen ægro permolestum. Idem accidit ubi cum glande vel charta,vel linteum,aut simile quid in vulnus raptum fuerit, ibique hæreat.

§. XLVII.

Si contusio non esset conjuncta his vulneribus, curatio cum reliquis fere esset communis.

§. XLVIII.

Curatio est vel externa, vel interna, illa Chirurgo, hæc Medico præcipuè competit.

§. XLIX.

Methodus medendi ordinaria quinque indicationibus hîc absolvitur, I. *extranea sunt removenda*, II. *caro contusa in pus vertenda*, III. *deperdita restauranda.* IV. *separatæ partes uniendæ.* V. *Symptomata imprimis urgentia à medico & chirurgo præcavenda sunt aut mitiganda.*

§. L.

Extranea vulneribus inhærentia late se extendunt, & eximuntur vel digitorũ apicibus,si nempe possibile, vel volsellis varii generis, quædam ultrò, cooperante natura, extravertuntur, ut ossium fragmenta. Globulum verò, statim in initio, antequam inflammatio accedat, cum minori dolore id fiat, quàm deinceps, si possibile, apto instrumento (vid. Scultet. *in armamevt. Chirurg.*) chirurgus extrahet, nisi forsan videat, post extractionem nullam spem vitæ superesse, tunc enim consultius est extractionem non tentare, ne ægro mortem accelerasse inculpetur.

§. LI.

Scire verò intereſt, quousque pertigerit in corpus globulus, quod vel ſpecillo, vel candela cerea minori exploratur, ampliato etiam pro exigentia per ſectionem vulnere.

§. LII.

Neceſſum quoque eſt, ut antea eô ſitu locetur æger, in quo erat, cum fuerat vulneratus, præſertim, cum in cavitates corporis vulnus penetraverit; alias enim ob variam muſculorum vel elongationem, vel abbreviationem, peregrinum nec explorari, nec evelli poteſt, & ſic egregiè decipitur chirurgus, quâ de re *nobiliſſ. D. Schelhammerus, Patronus & Præceptor meus colendiſſimus, nunc in Academia Cimbria Profeſſor primarius, & Sereniſſ. Duc. Schleſwicenſ. Archiater, in lectionibus Chirurgicis privatis* ſedulò nos admonuit.

§. LIII.

Quod ſi globulus usque ad oppoſitam partem ferè pertigerit, melius exſcinditur, ſi absque magna hæmorrhagia & nervorum, tendinumque læſione fieri poteſt, quàm ut per longum tractum maximo cum dolore educatur, ſin minus, in parte reliquendus, ſi fuerit plumbeus.

§. LIV.

Antequam verò ad hanc operationem deveniat chirurgus, hæmorrhagiam, tanquam ſymptoma urgentiſſimum, prius ut compeſcat e re erit, quare ſelectiora *ἴσχαιμα* ipſi in promtu ſint, v. gr. liquor ſtypticus externus, hodie maxime decantatus, pulveres ſtyptici varii, ex gum. Arabic. tragacanth. ſang. dracon. ▽ Japon. bol. armen. lap. hæmat. mum. ſpern. Croll. aloë, uſn. cran. human. crepit. lupi, ▽ ⊕l. dulc. ⊕lo ipſo, Oe, &c. vulneri vel per ſe inſlandi, vel turundis inſpergendi, vel cum album. ovi concorporandi. Sangvinem agninum torrefactum & ſubtiliſſime pulveriſatum c. tragacanth. croc. ♂ adſtr. & Oe mixtum, ſuperimpoſito emplaſtr. incognito, vel cerato de pelle arietina, Arnoldi de Villa nova ſumme æſtimat *Mindererus in Medicin. Militar. p. 339.* Pannum xylinum uſtum cum albumine ovi exceptum, poſito deſuper

crepitu lupi & cum ſpleniis deligatione factâ, arcanum eſſe dicit *Magnif. WEDELIUS, Evergeta, Patronus & Praeceptor meus ad cineres etiam devenerandus in Amœnit. Mat. Med. pag. 508.*

§. LV.

Nec cauteria actualia reſpuenda, ſi neceſſitas urgeat.

§. LVI.

Si æger plethoricus, nec adeò multum ſangvinis antea profuſum ſit, maximè conducit V.S. revulſoria: ſæpè verò non ſtatim ſiſtenda hæmorrhagia vulnerum, cum multa ſic ſymptomata, inprimis inflammatio, præcaveantur.

§. LVII.

Optimus liquor ſtypticus eſt 🜄 rectificatisſimus, arteriarum & venarum vulnera mirifice claudens, cujus rei primus experimentum feciſſe dicitur *celeberrimus Bohnius, Profeſſor Lipſienſ. vid. act. eruditor. Anno 1683.*

§. LVIII.

Cum dolor inter reliqua ſymptomata etiam urgeat, blandè emollientia & paregorica conveniunt, v.gr. fieri poteſt linimentum ex 🝆 hyoſcyam. chamomill. lumbricor. anethi. petr.alb.c. album.ovi, vel ungent. anod. & croci parum tepide circumlinendum.

§. LIX.

Jam caro contuſa in pus transmutanda requirit ſuppurationem promoventia, inter quæ excellit unguentum digeſtivum chirurgorum, cui poſt aliquot dies remiſceri poteſt unguent. Ægyptiac. vel fuſc. Würzii, vel ☿ præcipitat. alum. uſt. 🜔l. alb. ad hyperſarcoſin præcavendam, quo vel turundæ circum circa illinuntur, vel, ſi ſpiſſius paulò reddatur unguentum, ipsū in turundam efformari poteſt, non ſine ſtratagemate.

§. LX.

Si puri exitus denegatur debitus, alibi collectum acredine ſua carnes corrodit, unde ulcera ſinuoſa & fiſtuloſa conſurgunt; ſi in capite hoc contingit, præſente fractura, pus intra cranium concedit; illud ergò dilatationem vulneris & injectiones ex travmaticis & cathæreticis, hoc trepanationem expoſcit.

 Quando

§. LXI.

Quando pus laudabile non generatur & vulnus colorem lividum, fuscum & quasi nigrum cum fœtore ostendit, gangræna imminet, cui medetur 🜈 camphorat. quo imbuta lintea mina, sæpius repetita, imponuntur; addi potest 🜄 theriacal. vel theriaca ipsa, 🝆 🜍i fœtid. unguent. alb. camphorat. de lithargyr. Decoctum nigr. chirurgor. non omissis internis quoque medicamentis. In confinio profundior scarificatio non frustra instituitur, parte hinc aceto fortiori calido abluenda, vid. prælaudat. *Waldschmid. l. c.*

§. LXII.

Sphacelus citam opem desiderat, illiniri potest 🝆 caryophyllor. camphor. petr. alb. si verò non statim juvent hæc medicamenta, heroica operatio, nimirum membri abscissio, ne pars sana trahatur, aggredienda; de quâ chirurgos consule.

§. LXIII.

Sæpius spasmus negotium facessit, unde tum pars affecta, tum spina dorsalis, & juncturæ inungendæ v. gr. balsam. de Peru, pingued. castor. unguent. nervin. ♂at. liniment. nervin. Wed. 🝆 juniper. petr. alb. rut. spic. ver. succini &c. superimpositis fotibus ex nervinis.

§. LXIV.

Vulnere consolidato, si membrum contabescat, frictiones linteis calidis instituendæ, quo sangvis advocetur, non omissis linimentis ex 🜄: lumbricor. juniper. lil. convall. rorismarin. terebinth. sambuci, pingved. castor. unguent. Hartmanni in praxi descript. aliisque.

§. LXV.

Quæ moderatè siccant, sunt sarcotica, ut ceruss. lithargyr. myrrh. plumb. ust. pulv. fol. aristoloch. long. unguent. diapompholyg. Ægyptiac. s. & c. balsam. vulnerar. Mindereri, & inprimis quoque 🝆 🜍i fœtid. vulnerum horum balsamum egregium.

§. LXVI.

Cum sæpe in vulneribus, articulorum præcipue, synovia oriatur,

oriatur, ungv. fusc. Wurzii cum turundis calidè applicatum proderit, addi possunt balsam. de Peru, vulnerar. Minderer. magister. alumin. ∇ ⊕li dulc. aliaque.

§. LXVII.

Sæpenumero quoque occurrit ossium caries, quare ante omnia, si opus, vulnus radice gentianæ vel sectione dilatandum, cauterium actuale, vel potentiale per pulv. euphorb. vel ol. caryophyllor. applicandum, vel scalpro os abradendum tamdiu, donec album appareat.

§. LXVIII.

Nervi vel tendines vulnerati à medicamentis calidioribus & siccantibus levamen accipiunt, uti sunt ol. terebinth. castor. petr. alb. & rubr. ∀ ipse, balsam. de Peru, opobalsam. unguent. nervin. fusc. Wurzii.

§. LXIX.

Jam adstringentia & potentius exiccantia, alias epulotica dicta, in censum veniunt, quæ sunt v. gr. æs ust. lot. tutia præpar. sacchar. ♄ni, corn. cerv. ust. lap. calamin. unguent. diapompholyg. emplastr. gryf. de min. lap. calaminar. opodeldoch.

§. LXX.

Si justo diutius sarcotica continuantur, adhibitis epuloticis, fœda & eminentior cicatrix inducitur; cava verò fit, si citius à sarcoticorum usu desistamus, utrumque chirurgo in ignominiam cedit.

§. LXXI.

Pro natura partis affectæ medicamenta quoque variant, sic vulnera capitis omnia humida, exceptis dissipantibus, oleosa, pingvia, etiam unguentum digestivum ipsum, respuunt, quæ tamen reliqua facilè ferunt.

§. LXXII.

Sacculi paregorici, discutientes, ex plantis nervinis, sale volatili oleoso impraegnatis, cum vino cocti & calide applicati summi usus, tùm alias, tùm imprimis in vulneribus capitis, ubi grumosus sangvis præsumitur.

§. LXXIII.

Artificiosa vulneris deligatio commendat chirurgum, cum facile

facile peccari possit, ob quam causam *Cous lib. de off. med.* & *lib. de fractur.* eam tàm sedulò inculcavit; si enim fasciæ nimis strictæ sint, statim adest dolor, inflammatio, gangræna, quod benè notat *Joh. van Horne in Microtechn. pag. 29.* sin nimis laxæ, major humorum fit affluxus, quod præcipuè valet, si fractura simul adest, quo casu emplastr. contra fractur. semper reliquis adjungendum.

§. LXXIV.

Medicus tum symptomata præcaveat, vel si jam adsunt, avertat, tum consolidationem internis medicamentis quoque promoveat, ubique judicium practicum adhibendo.

LXXV. Ante omnia ne febris vulneraria fiat, caveat, quæ citissime vulnera hæc insequi solet: hoc præstant bezoardica volatilia, fixa & media, putredini resistentia, blanda diaphoretica, diuretica, resolventia, travmatica, aliaque. Sic mixtura fieri potest ex ℞. bezoard. Wed. travmat. ejusd. cum essent. anod. parum, quibus consulto quoque additur essent. myrrh. balsamica. Circa noctem prosunt magis bezoardica fixa v. gr. pulveres bezoardici cum lap. cancror. præparat. ♁ diaphor. corall. præparat. pulv. contr. cas. quorsum refer electuar. diascord. Fracastor. medicamentum egregium.

LXXVI. Hæmorrhagiâ externorum vim præter spem eludente, ad interna medicamenta sangvinis ὀργασμὸν compescentia confugiendum, qualia sunt croc. ♂ adstring. sperniol. Croll. lap. hæmatit. omnia ⊕ osa, pulv. styptic. Heurn. Croll. Wed. cum laud. op. vel magist. anod. it. ℞ ♂ adstring. ♀ ⊕li, anod.

LXXVII. Si cacochymia in primis viis stabulans arguatur, proderunt purgantia leniora, quæ materiam illam vitiosam totam M. S. inquinantem educunt.

LXXXVIII. Clysteres tum revulsorii, tum alii, in vulneribus, inprimis capitis, egregie se gerunt.

LXXIX. Dolorum, fluxionum, & vigiliarum etiam h. l. divina remedia sunt opiata, modo vires ægri respondeant, nec absque humectantibus propinentur.

LXXX. In Gangræna & sphacelo incipiente principia vitalia probe

probe tutanda bezoardicis etiam volatilioribus, balsamicis & confortantibus, v. gr. ℞ bezoard. camphor. ~u corn. cervi, ebor. elixir. proprietat. essent. myrrh. balsam. lign. aloes, ▽ borrag. bugloss. cinnamom. s. v. ebor. sine △ præpar. matre perlar. confect. alkerm. incompl. de hyacinth. &c.

LXXXI. Motibus convulsivis debentur castorina quævis, pulv. epilept. marchion. Cinnab. nat. & ♁ii, vel specific. cephalic. Michael. magister. cran. human.

LXXXII. Decocta vulneraria, ut est decoctum travmaticum in Pharmacop. Londinensi descript. non solum sangvinem alterant, vitiosum depurant, grumosum dissolvunt, putredinem inhibent, & characterem balsamicum consolidantem inducunt, sed & naturam ad expellenda peregrina egregie adjuvant, quale exemplum observavit *Magnif. WEDELIUS* in studioso globulo plumbeo in pede læso, vid. *Ejusd. Amœnit. Mat. Med. p. 106.*

LXXXIII. Horum decoctorum materia sunt plantæ alcalicæ, detergentes, mundificantes, balsamicæ, resolventes, herb. agrimon. alchimill. cerefol. heder. ▽estr. millefol. virg. aur. pilosell. scabios. scord. veron. aristoloch. consolid. omnis flor. hyperic. balaust. rosar. rubr. bellid. additis pro re nata lignis medicis & post coctionem & colaturam sirupo vulnerario. Nec frustra quoque alcali omne acidum perimens, cordi habet *Joh. Baptist. von Helmont.* quando lap. ♋ cum vino bullitos commendat.

LXXXIV. Si vero corpora cacochymica, obstructiones præsertim hepatis, lienis, mesenterii adsint, ob vim adstringentem & exiccantem nō adeo prosunt, sed potius dolores, tormina, hypochondriorum inflationes, scirrhos accersunt, quod sæpe se observasse scribit *Hildanus observ. de vulner. sclopeti ictu inflict. pag. 942.*

LXXXV. Sex res nonnaturales, prout in usum veniunt, mirum quantum vulnerum consolidationem procurare, vel impedire queunt. Hinc *Diæta* omni studio est observanda.

LXXXVI. Aër ambiens sit tepidus, temperatus; Cumque aër sit corruptor & conservator humorum, sedulo vulnera ab eo defenden-

fendenda, ne fores inflammationi, gangrænæ, aliisque incommodis aperiantur.

LXXXVII. Victus tenuis vulneratis maximè competit, hinc cibi sint εὔχυμοι, particulas γλισχρὰς habentes, vitatis sedulo acribus, acidis, dulcibus, salsis, muriatis, infumatis, aromaticis, quæ sangvinem rarefacere, ejusque motum promovere valent.

LXXXVIII. Potus sit tenuis & magis aquosus, moderatus pro re nata, nisi sitis urgeat; Vinum non æque, præterquam in adsvetis, multa quidem aquâ dilutum, concedendum.

LXXXIX. Cum optimum vulneratis remedium, juxta Celsum, sit quies, in lecto æger se contineat, nec motum temerè ineat, nisi dolores, aliaque symptomata cum damno experiri velit.

XC. Somnus nec excedat, nec deficiat, si dolor conjunctus major, somnus respectivè longior non nocet: Vigiliæ sedulò vitandæ, & quovis pacto arcendæ, sive illæ ob immanem dolorem, vel seri defectum, ut in febribus, ortæ fuerint.

XCI. Quatenus variè commovent, turbant, expandunt, vel concentrant spiritus animi παθήματα, multum noxæ inferre apta nata sunt, quod h.l. de ira & tristitia inprimis valet.

XCII. Excreta & retenta meritò in censum quoque veniunt, sæpissimè enim, si alvi adsit constipatio, pessimè habent vulnerati, quæ vel lenientibus vel clysteribus reseranda. Τὰ ἀφροδίσια exercere vulneratis summè nocet.

HErculeas operas quemcunque subire necessum est,
qui vult, ceu TV jam, dignus honore frui!

Sic honoris & affectus sinceri testandi ergò
ex animo applaudit

PRÆSES.

M*Ille modos videas pereundi, mille medendi;*
ingenium solers novit utrosq; Tuum.

Honoris, Affectus & faustæ gratulationis ergo scrib.

Georg. VVolffgangus VVedelius.